



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Lerna Malorum Omnium; Sive Gravitas, Et Damna Peccati Mortalis

Arias, Francisco

Monachii, 1648

Cap. XXIV. Peccatum mortale vitam gratiæ ab anima auferre: eamque occidere morte culpæ, quæ eandem ad æternæ mortis pœnam perducit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46756](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46756)

Peccatum mortale vitam gratia ab anima auferre; eamq^{ue} occidere morte culpa, qua eandem ad aeterna mortis poenam perducit.

C A P. XXIV.

QVemadmodum praesentia animae in corpore, hoc informantis, dat ei naturalem vitam, & vires, vigorem, leuitatem, pulchritudinem, omnesque ceteras perfectiones, quas ipsa anima habet, illi communicat; sic Dei praesentia in animam per gratiam, & per charitatem, dat ei vitam spiritualem, ac diuinam, facitque ipsam participem suae potentiae, bonitatis, & sapientiae suae, pulchritudinis, & suauitatis, omniumque ceterarum suarum perfectionum, & ipsius suae diuinitatis. Haec est vera vita; & ad hanc nobis dandam vitam Christus mortuus est, & suam dedit. *a* Ego, inquit Christus, *veni, ut homines vitam habeant.* *b* Et: *qui sequitur me, habebit lumen vitae,* lumen, quod vitam

M 2 ope-

a Ioannis 10. 10. *b* Ioannis 8. 12.

operatur. Hæc vita comunicatur anima, mediante Fide, & charitate, & accipitur per bona opera, quæ ex charitate proficiuntur; nam Fides viua per charitatem ea est, quæ vnit, & coniungit animam cum Deo, cuius præsentia vnioque hanc vitam efficit. Sic declarauit Christus, dicens: *Amen Amen dico vobis, qui a qui verbum meum audit, sicut debet, id est, exequendo illud, & credit ei, qui misit me, habebit vitam æternam*, quæ hîc per gratiam incipit, & in celo perficitur per gloriam. Hæc tam pretiosa, tamque diuina vita tollitur per peccatum mortale, quippe quod contrarium est charitati, & extinguit & aufert charitatem, quæ animam cum Deo vnit, expellit ab animâ Deum, cuius præsentia vitam ei dabat; & sic illam moritur, nam vitâ recedente moritur; & propter hunc effectum, qui animam occidit, vocatur peccatum mortale; idque sæpè de eo docet, & prædicat diuina Scriptura, a *Homo*

in-

a Sap. 16. 14

inquit Sapiens, occidit animam suam per propriam malitiam. Et Ecclesiasticus declarat hoc valde proprijs similitudinibus, dicens: *a Quasi à facie colubri, fuge peccata: si accesseris ad illa, consentiendo ipsis, suscipient, & occident te, quemadmodum coluber hominem incuriosum, & negligentem suscipit, & occidit. Dentes peccati, quasi dentes leonis; & sicut leo magnam crudelitatem dentes homini infigit, corpus eius interficit, ossaque comminuit, sic peccatum suos dentes crudelissimè in animas infigit, easque interficit, auferens illis vitam gratiæ, & earum vires, quas ad benè operandum habebant, frangit. Et quasi romphæa bis acuta omnis iniquitatis: & sicut illa vulnerat, & occidit ex utraque parte: sic iniquitas, per quamcumque partem, & occasionem intret, occidit animam, & corpus, quia totum hominem ad æternam mortem deducit.* Hæc Ecclesiasticus; qui per similitudinem colubri, leonis, & rom-

M 3

phææ,

a Eccl. 21, 2.

phææ, quæ sunt res corpus occidente
 significat hunc effectum peccati, quod
 est animam occidere. In hoc clarè ma-
 nifestatur maxima peccati deceptio-
 nam spectatum, exteriùs, habet appa-
 rentiam aliquam, & colorem boni, ha-
 bet voluptatem, habet gustum, habet
 nonnullum temporale emolumentum
 rei, aut honoris, aut sanitatis, aut vi-
 corporalis; & nisi homo ad aliud re-
 spiciat, quàm ad hanc exteriorem ap-
 parentiam, attractus ab eâ, illectusque,
 in peccatum mortale vel factum, vel de-
 siderio præceptus fertur, itaque moritur,
 perit, & damnatur. Hoc Isaias signi-
 ficavit, de impijs dicens: *a* *Concepe-
 runt laborem, ac dolorem* (labore enim
 doloreque peccatum constat) *et
 pepererunt iniquitatem, executioni eam
 mandando: Et hoc faciendo, ova aspi-
 dum ruperunt; qui comederit de eis, ma-
 rietur: Et quod in his ovis confotum est,
 erumpet in regulum, solo aspectu suo
 occidentem, Ova aspidum sunt exte-
 riùs*

a Is. 59. 4.

rius alba, pulchra, & oculis grata; ad-
eoque repræsentant exteriorem pul-
chritudinem peccati, quod videtur,
res suavis, & utilis, ac visui iucunda;
sed intus plena sunt veneno, quod oc-
cidit eos, qui illa aperiunt; & ex ijs-
dem prodit basiliscus, seu res admo-
dum pestifera, inficiens, vitæque pri-
uans: Et in hoc repræsentant hunc pec-
cati effectum, qui est animas inficere,
& occidere. Ponamus nobis hanc rem
ob oculos per exempla quædam à di-
uinâ Scripturâ prodita. Sisara insignis
dux, & hostis populi Dei, per campe-
stria veniens, *ingressus est tabernaculum*
mulieris, nomine Iahel, postulavitque
ab eâ haustum aquæ; & illa *dedit ei lac*
bibere. *a* Cum is deinde iacens dormi-
ret, mulier assumpto clavo tempora
eius transfixit, ipsumque exanimem
reliquit; & sic ille *soporem morti conso-*
ciavit, quippe non ampliùs ad hanc vi-
tam, sed ad æternam damnationem
experrectus. Holofernes hostis Dei, &

M 4 popu-

a *Iudic. 4. 19.*

populi eius, splendidissimè cenauit
 tantū bibit, vt inebriaretur; & cū so-
 no, vinoque sepultus iaceret, accedens
 Sancta Iudith, a pugione caput ei abscidit,
 idque tantā cum celeritate fecit,
 vt ille tempus euigilandi non habuerit,
 sed eodem statim momento corpus
 ipsius instar trunci mortuum, & anima
 sepulta sit in inferno. Hoc est, quod
 omnibus peccatoribus contingit, qui
 illecti vitæ huius voluptatibus, delitijs,
 & commodis, quæ sunt dulce lac, &
 suaue vinum, se negligunt, & in pec-
 cato mortali dormiunt, in illud con-
 sentientes; quod eodem temporis pun-
 cto animas eorum instar clauis pene-
 trat, easdem vulnerat, & occidit. At-
 que ita mortali peccato sopiti, maiores
 ex parte discedunt ex hac vitâ, & per
 temporalem mortem in mortem, ac
 damnationem æternam transeunt. Et
 hoc malo, quod peccatum mortale fa-
 cit, animam occidendo, fit, vt omnia
 bona opera, quæ homo peccator facit,
 licet

a Iudith. 13. 10.

licet sint magna ieiunia, & ingentia
pœnitentiæ, ac misericordiæ opera,
multæ elemosynæ, & longæ oratio-
nes, omnia sint mortua, & sine valore,
ac merito apud Deum, quia procedunt
ab animâ, quæ mortua est, & sine Dei
gratiâ. Et quamvis profint ad citiùs
exeundum de peccato, bonaque tem-
poralia consequenda, tamé nihil con-
ducunt ad augendam gratiam, nec ad
merendam gloriam, neque Deo grata
sunt. *a Fides*, inquit S. Iacobus, *sine*
operibus mortua est, quia deest ei chari-
tas, quæ ipsi dat vitam; & sicuti vera
Fides, quæ est bonum opus, sine chari-
tate mortua est, sic sunt mortua omnia
bona opera, quæ ex Fide mortuâ pro-
cedunt. Atque hæc iactura quædam
incomparabilis est; nam si homo ani-
mam viam per charitatem haberet,
omnia, quæ ex hac radice prodirent,
bona opera, Deo grata, acceptaque,
magni valoris, ac meriti, valdeque di-
gna æternâ vitâ essent: & quia ab ani-

M 5 ma

a *Iac. 2, 20.*

m̄a per mortale peccatū mortuā pr
 deunt, totum hoc bonum perit. Ac p
 tet hinc admodum clarē peccati mor
 talis grauitas, quōd ad occidendam
 tot bonis priuandā animam non sunt
 necessaria multa peccata mortalia, nec
 opus est ea multo tempore in animā
 durare, sed vnum mortale peccatum
 momento temporis commissum suffi
 cit ad occidendam animam, tantam
 que in eā stragem, & bonorum ope
 rum mortalitatem edendam. Quod
 uis enim peccatū mortale contrarium
 est charitati, eam destruit, & ex ani
 m̄a, vt diximus, expellit; & expellendo
 charitatem, expellit ex eādē ani
 m̄a Deum, qui vitam ei dabat; & ma
 nente animā mortuā, atque in inimici
 tiā, & offensā Dei, omnia, quæ ex illa
 procedunt, bona opera sunt, vt osten
 dimus, mortua, & cum sint opera ini
 mici, non placent Deo, nec vllum in
 conspectu eius meritum habent. Hoc
 significauit S. Iacobus, dicens: *a* *Qu*
 cum.

a Iac. 2. 10.

cunque totam legem Dei seruaueris, offendat autem ipsum vno peccato mortali, factus est omnium reus, id est, tam sine gratiâ & charitate Dei, tamque in animâ mortuus, quàm si omnia legis mandata transgressus esset. Idque meliùs declarans Apostolus pergit: *Qui enim Dominus dixit, non mœchaberis, dixit & non occides*: Hoc est, si fecissent plures Domini, quorum vnus vnum mandatum fecisset, & alius aliud, potuisset homo vnum ex his Dominis offendens, in alterius amicitia manere; sed cum non nisi vnus solus Deus, & vniuersalis Dominus sit, cuius sunt omnia mandata, licet eorum vnum transgrediendo tantus peccator non sit, nec tantæ poenæ sensûs in inferno reus, quantæ, si ea omnia esset transgressus, tamen tam est separatus ab amicitia Dei, tam sine vitâ spirituali gratiæ, & tam ab æternâ gloriâ exclusus (quæ poenâ damni dicitur) quàm si verè contra omnia mandata peccasset. Hoc est imensum damnum, quod affert peccatum mor-

M 6 tale,

tale, etiam si vnum solum sit. O quantatione dixit Raphaël Angelus, cum Tobia loquens: *a Qui faciunt peccata transgredientes legem Dei, hostes sunt animæ suæ.* Et Dauid in quodam Psalmo *Qui diligit iniquitatem odit animam suam.* Quod maius facere malum, vel damnum inimicus odio ardens potest, quam si inimicum, cui male vult, occidat? Si ergo homo hoc propriæ animæ suæ facit, mortaliter peccando, verissimum est, ipsum capitalem animæ suæ hostem esse, eamque penitus odisse. Quare fugiamus peccatum mortale, quod occidit, nec ei consentiamus, etiam si bonam habeat apparentiam, omnibusque mundi voluptatibus, diuitijs, & honoribus opertum sit, quandoquidem absconditum habet venenum, quod vitam priuat. Si tibi apponeretur cibus, etiam si saporissimus omnium in mundo, suauissimusque esset, & scires ei pauculum mortiferi veneni inesse, non comederes eum vilius terreni comodi ergo, ne corpus tuum occi-

a Tob. 12, 10. b Ps. 10, 6.

occideret, & contrà facere, stultitiam
putares: Quantò æquius, ac rationa-
bilius est, te abstinere à peccato mor-
tali, nec ei consentire, etiamsi appa-
renter omnia mundi oblectamenta, e-
molumentaq; temporalia habeat, cum
scias, sub apparente illâ voluptate, &
sub vanâ illâ vtilitate latere toxicū, ac
venenum, quod statim animā occidet
morte culpæ, per quam fit rea mortis
æternæ pœnæ? Neque te, frater, in di-
scrimen obijcias, cogitans te cum tem-
pore acturum pœnitentiam, neq; ideo
damnatum iri: maius enim malum est
culpa, quàm pœna, & mors spiritualis
animæ, quàm æternū corporis, & ani-
mæ tormentū: vnde quamuis scires te
non damnatū iri, sumā cum diligentia
peccatū, quod tantum infert damnū,
fugere, nec ei vel propter totū mundū
consentire debes. Quantò magis, cum
res admodū incerta sit, te cū tempore
pœnitentiam acturum, possitque fieri,
vt hoc peccatū sit vltimum, in quo vi-
ta tua desinat? Cum item sit certum,

si cui prudenti homini non vnus cibus
 sed decem pretiosa fercula appon-
 rentur, ipseque sciret, in vnico eorum
 venenum inesse, de nullo gustaturum,
 ne incideret in illud, in quo mors es-
 set. Cum ergo hæc res sit, quæ quoti-
 die peccatoribus pœnitentiã procras-
 tinantibus euenit, vt ipsos mors in
 aliquo eorum peccatorũ, quæ iterant,
 opprimat, in eoque ad infernum de-
 mittat; cumque tu nescias, quodnam
 peccatorum mortalium, quæ quotidie
 committis, futurum sit illud, in quo
 moriturus es, & per mortem ad æter-
 nam damnationẽ transiturus; æquum
 omninò, necessariumque est, vt si non
 propter aliud, ad euitandam damna-
 tionem tuam, abstineas ab omnibus,
 quæ facere vis, peccatis mortalibus, &
 de ijs, quæ commisisti, statim absque
 dilatione veram agas pœnitentiam, vt
 à morte te liberet, & vitam consequaris,
 quando Spiritus Sancti calamo scri-
 ptum est: *a Si impius egerit pœnitentiam*

a Ezech. 18. 21.

tiam à peccatis, quæ operatus est, & fecerit
iudicium de seipso, & iustitiam erga
Deum, & proximum suum, liberabit à
morte animam suam, & spirituali, æ-
ternâque vitâ vivet.

*Per peccatum mortale hominem, qui erat
cibus Dei, fieri Diaboli cibum.*

C A P. XXV.

VOcatur res aliqua cibus, quia qui
illam sumit, & adhibet, eâ se su-
stentat, & vitam, quam habet, conser-
vat, per eam crescit, in eâ saporem, gu-
stumque percipit & eandem incorpo-
rat, atque conuertit in seipsum. Hoc
fit in cibo corporali; & ad huius simi-
litudinem idem in spirituali cibo usu-
venit. Deus habet suum cibum infini-
tæ suavitatis, quo vitam suam alit, lau-
teque pascit, & ex quo infinitum gu-
stum, ac saporem capit. Hic est divina
eius essentia, quâ ipse fruitur per intel-
lectum, & voluntatem, contemplan-
do se, comprehendendo se, & amando
se

se